



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.





6

VIRO SVMMO
FRIDERICO THIERSCHIO

XVIII. IVN. A. MDCCCLVIII.

DIEM SEMISAECVLAREM

AB IMPETRATIS

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

HONORIBVS

GRATVLATVR

ORDO IN VNIVERSITATE IVLIO - MAXIMILIANA
PHILOSOPHORVM

INTERPRETE

CAROLO LVDOVICO VRLICHSIO

PHILOGOGIAE P. P. O.

INSVNT OBSERVATIONES DE ARTE PRAXITELIS.

WIRCEBVRGI

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

172. c. 2

E

VIRO SVMMO
FRIDERICO THIERSCHIO

XVIII. IVN. A. MDCCCLVIII.

DIEM SEMISAECVLAREM

AB IMPETRATIS

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

HONORIBVS

GRATVLATVR

ORDO IN VNIVERSITATE IVLIO-MAXIMILIANA
PHILOSOPHORVM

INTERPRETE

CAROLO LVDOVICO VRLICHSIO

PHILOGIAE P. P. O.

INSVNT OBSERVATIONES DE ARTE PRAXITELIS.



WIRCEBVRGI

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

De Praxitelis arte in universum nunc quidem disputare vix audeo. Namque quum diversissimas a viris doctissimis sententias nuper prolatas esse eamque quam quisque adamasset pugnacissime defendi viderem, id ante omnia agendum esse existimavi, ut quae de eius statuis a veteribus tradita sunt, cum reliquis eiusdem argumenti monumentis, cum antiquitatis de praestantissimo artifice iudicio, cum regionum, ubi collocatae fuisse viderentur, indole et condicione diligentius compararem. Ita enim futurum esse sperabam ut de ratione, quae ei cum aequalibus, cum civibus et peregrinis atque cum universo artis statuariae progressu intercessisset, causa cognita iudicare liceret. Quum igitur omnium post Phidiam maxime Atheniensium, quales quidem tum erant, ingenium arte expressisse videretur, non potui non mirari quod ea quae mihi ut certissima placuerant a Brunnio et Friederichsio pariter improbabantur. Consentiant enim qui reliquis de rebus contrarias in partes abierunt in eo, ut pro magna operum quae a Praxitele exsculpta sunt copia paucis tantum Athenas ipsas ornatas fuisse putaverint¹). Ego vero sat multa Athenis aut prope urbem stetisse existimaveram. Nam etsi deficiente pecunia publice aliquanto pauciora monumenta quam antea collocata esse facile largiebar atque inde

¹) Brunn. hist. artif. Graec. tom. I, p. 425. „Daraus erklärt es sich, dass Praxiteles, sowie Skopas, der zwar Parier, aber auf dem Boden der attischen Kunst erwachsen ist, für Athen eine verhältnissmässig geringe Thätigkeit entwickelt.“ Friederichs diurn. antiq. XIV, p. 3. „In Athen machte der Künstler seine ersten Werke, weil er dort geboren war, nun sind aber verhältnissmässig sehr wenig Werke von ihm in Athen ausgeführt.“

evenisse opinabar ut e bore et auro Praxiteles non uteretur¹⁾, tamen, sicuti ego arbitrabar, neque omnino desierunt Athenienses artifices in decorandis templis aliisque aedificiis, quantum per temporum angustias licebat, publice occupari et privatorum hominum cura et impendio praeter ea quae sibi emebant per urbem et in templis haud pauca donaria, sicut antea²⁾, dedicata sunt. In qua sententia me etiam num versari fateor. Nam quum iterum de ea re cogitarem, ea monumenta a viris doctissimis ad calculum non vocata esse intellexi quae olim Athenis collocata fuisse quamquam a nullo inter veteres disertè narratur, tamen aut certa aut probabili saltem demonstratione probari poterit.

Eas statuas dico, quas Plinius tum loci mentione non addita XXXIV, 69 sqq. laudavit, tum Romam translatas esse narravit XXXVI, 25 sqq.

I. Boni Eventus et Bonae Fortunae simulacra in Capitolio.

Apud Claudium Aelianum var. hist. IX, 39. haec leguntur:

Νεανίσκος Ἀθήνησι τῶν εὖ γεγονότων πρὸς τῷ πρυτανείῳ ἀνδριάντος ἐσιῶτος τῆς Ἀγαθῆς Τύχης θερμότητα ἠράσθη. Κατεγίλει γοῶν τὸν ἀνδριάντα περιβάλλον, εἶτα ἐκμανεῖς καὶ οἰστηθεῖς ὑπὸ τοῦ πόθου, παρελθὼν εἰς τὴν βουλὴν καὶ λιτανεύσας ἔτοιμος ἦν πλείστων χρημάτων τὸ ἄγαλμα προΐασθαι. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἔπειθεν, ἀναδήσας πολλαῖς ταινίαις καὶ στεφανώσας τὸ ἄγαλμα καὶ θύσας καὶ κόσμον αὐτῷ περιβαλὼν πολυτελεῖ εἶτα ἑαυτὸν ἀπέκτινε μυρία προσγλαΐσας.

¹⁾ Quod enim a Luciano de hist. conscrib. 51. et Gall. 24. colossi aurei eburneique Praxiteli tribuuntur, cui fidem habuit Friederichs. l. c. p. 5, aut ab ipso scriptore Praxitelis nomen cum Polycleto confusum est aut librariorum negligentia accidit. Polycleto enim nominandum fuisse Argivorum praesertim in priore loco commemoratione efficitur. Ita apud Aelianum XIV, 8. non *Πολύκλειτος* sed *Πολύγνωτος* scribendum est, nam in codd. mss. additur ὁ ζωγράφος, et εἰκόνη non statua sed pictura apud Aelianum significatur, cf. XIV, 37.

²⁾ Lepidam de stolidia Hipponici arrogantia narratiunculam Aelianus var. hist. XIV, 16. tradidit, e comoedia, ut videtur, petitam, qua Polycleti famam Athenis summam fuisse apparet. Fortasse post Phidiae mortem aut post iter in Elidem susceptum Polycleto Athenas migraverat.

Ex iis quae sequuntur narratiunculis una postea a scriptore in libros de natura animalium recepta, ut e libro de nat. anim. V, 29. et schol. Theocrit. IV, 31. apparet, e Theophrasti *ἔρωτικῶ* desumpta est. Veri igitur non absimile est, eam quoque quam hic repetivimus in eodem libro reperi- tam esse, nisi forte eam ad Clearchi Solensis *ἔρωτικά* referre malis, quae apud Athenaeum, quem prae reliquis auctorem sequitur Aelianus, saepe lau- dantur. Utut est, haud facile errabis si fidem huius narrationis ad antiquiorem aliquem peripateticum eumque amatorii libelli auctorem retuleris. Neque hoc unum talis insaniae exemplum est. Namque, ut Iunium Pisciculum equitem Romanum omittam, quinque omnino statuae, marmoreae haud dubie, nominantur, quas impotenti amore Graecus homo deperuisse fertur. Et primum quidem Polemo apud Athenaeum XIII, p. 606. tradidit quae sequuntur: *ἐν Δελφοῖς ἐν τῷ πινάκων θησαυρῷ παῖδες εἰσι λίθινοι δύο, ὧν τοῦ ἑτέρου Δελφοὶ φασὶ τῶν θεωρῶν ἐπιθυμήσαντά τινα συγκατακλεισθῆναι καὶ τῆς ὀμι- λίας καταλιπεῖν στέφανον· φωραθέντος δ' αὐτοῦ τὸν θεὸν χρωμένοις τοῖς Δελ- φοῖς συντάξαι ἀρεῖναι τὸν ἄνθρωπον· δεδωκέναι γὰρ αὐτῷ μισθόν.* In qui- bus verbis plura corrupta esse Meinekius in Gerhardi diurnis archaeol. XV, p. 102. monuit. Quod verbum *συγκατακλεισθῆναι* in *συγκατακλιθῆναι* mutavit, fecit quidem ingeniose sed praeter necessitatem. Nam nihil aliud significat *συγκατακλεισθῆναι* quam in re simili apud Athenaeum p. 605. *εἰς τὸν νεὼν κατέκλεισεν αὐτόν* et apud Lucianum personatum in amor. 16. *ἐνδον ὁ νέος Ἀγχίσις καθείρκετο.* Scilicet amatorem pone ianuas latentem aeditui quum aedes vespere occluderent cum statua solum reliquerunt. Ne hoc quidem quod post *ὀμιλίας* vel *σημεῖον* vel *μισθόν* inseri voluit, etsi valde speciosum, plane videtur necessarium, quum corona consuetudinis propria praemium fuisse indicetur. Illud vero praeclare egit vir doctissimus, quod neque pinacothecam commode tabularum thesaurum appellari, neque in pinacothecis statuas conservatas esse neque omnino talia aedi- ficia satis vetusta fuisse animadvertit. Egregie igitur *Σπινετῶν* nomen vocabulo *πινάκων* substituit, quae nominis forma Stephani Byzantii p. 584, 12. auctoritate confirmatur. Spinetas enim Delphis thesaurum habuisse his verbis Strabo V, p. 214. tradidit: *καὶ ἡ Σπῖνα, νῦν μὲν κωμίον πάλαι δὲ Ἑλληνὶς πόλις ἔνδοξος· θησαυρὸς γοῦν ἐν Δελφοῖς Σπινητῶν δεῖκνυται, καὶ τὰλλα ἱστορεῖται περὶ αὐτῶν ὡς θαλασσοκρατησάντων.* Iam vero Spinetas

etiam post Gallorum incursiones agrum urbemque tenuisse neque thesaurum illum multo, ut consentaneum est, ante conditum dereliquisse e condicione qua etiam Gallis imperantibus utebantur consequitur. Nam rectissime Mommsenius in hist. Rom. vol. I, p. 309. observavit, colonias Etruscorum, quibus Spinetas annumerandos esse Abekenius in libro de Italia media scripto p. 279. monuit, earumque res maritimas simili quadam libertate usas esse qua Ephesus et Miletus Persarum dicioni subditae Graeca oppida et fere immunia manserunt. Quum enim c. ol. CXI. illae partes a Scylace Tuscorum regioni adscriptae sint et paulo post c. ol. CXIII. Athenienses coloniam in illas terras mittere in animis habuerint quae mare a praedonibus defenderet (cf. ephemer. instit. archaeol. a. MDCCCXXXVI, p. 132), commercio inter maris Adriatici litora libero et incolumi fieri optime potuit ut Spinetae marmoreas illas statuas in thesaurum Delphos mitterent. Quum autem ex illo plebei scito Atheniensibus cum intimo maris Adriatici recessu commercium fuisse consequatur, nihil probabilius est quam illa signa Athenis ab aequali vel discipulo Praxitelis sculpta fuisse.

Praxitelem dico. Namque ad illum eumque insignium artificum solum plura talis furoris documenta referuntur. Veluti, ut in puerorum amore consistam, statuam Amoris Pariani ab Alceta Rhodio adamatam esse Plinius XXXVI, 23. tradidit, e periegetarum demonstratione, ut videtur, quam Mucianus vel Varro (nam *colonia* appellatur Parium hic ut XXXIV, 78) retulerant. Thespiensem statuam intactam quidem fuisse sed quae similem iniuriam perpeti posset, Pseudo-Lucianus amor. 17. monuit. His adiungenda est Veneris Cnidiae effigies secundum eundem auctorem et Plinium XXXVI, 21.

Quartum iis annumerandum est virginis, Hebae, ut videtur, signum e marmore Pario sculptum, quod Sami in templo, Iunonis haud dubie, nefanda libidine aggressus est Clisophus Selymbrianus. Cuius rei recens, ut consentaneum est, factae poetae comici Alexis et Philemon meminere, artificem Adaeus Mytilenaeus in libro de statuariis Ctesiclem nominavit, cf. Athen. XIII, p. 605. Qui licet aliunde ignotus sit, tamen magna cum veri specie ad Praxitelis aetatem et sectam referri poterit. Nam quum propriae Samiorum artes post Polycratis mortem florere desierint, Ctesiclis

autem nomen Atticum praesertim fuerit, dummodo probabilem aliquam rerum Atticarum et Samiarum coniunctionem bello Peloponnesiaco recentiore reperiamus, ex Attica Ctesiclem illum oriundum fuisse iure nostro colligemus. Talis fere coniunctio dubitari nequit quin inter ol. CIII. et CXIV. incidat, quum post expeditionem a Timotheo ol. CXII, 3. susceptam Athenienses cleruchos illuc ol. CIV, 4. et CVII, 1. miserint, qui anno demum ol. CXIV, 3. ab Antipatro expulsi sunt¹⁾. Atque eodem tempore i. e. circa ol. CXII. uterque poeta fabulas docere coeperat, quibus recentem illius furoris memoriam inseruisse putandi sunt. Itaque Ctesiclem ipsum inter ol. CIV. et CXIV. floruisse consequitur, qui cum cleruchis Samum migrasse ibique e luce artium Atticarum evanuisse videatur.

Ultimam iam nominavimus, Bonae Fortunae statuam quae ab Aeliano Athenis prope prytaneum stetisse fertur, quo loco insigni, si a Pausania conspecta esset, praesertim adolescentis amore memorabilior facta haud dubie ab eo describeretur. Quocirca inter Clearchi vel Theophrasti et Pausaniae aetatem loco mota fuerit necesse est. Aelianum enim nihil moror, tam stolidae auctores secutum ut de Protogenis Ialyso XII, 41. multa verba fecerit neque sua aetate igne iam deletam esse addiderit. Itaque quum pulcherrimum Bonae Fortunae signum e marmore ante Pausaniae aetatem Athenis loco celebri steterit, quod antequam is Athenas adiret inde translatum esse videatur, eiusdem autem deae simulacrum Praxitelis manu elaboratum Plinii aetate Romae Capitolium ornarit et praeter Praxitelis opus nullum a nobili quidem artifice factum innotuerit, nonne apertum est hoc ipsum Athenis quum de explendis Capitolii post incendium copiis ageretur, Romam translatum fuisse? Ad Euphranoris enim statuam Aeliani locus pertinere non potest, quum aerea a Plinio XXXIV, 77. fuisse dicatur. Athenis igitur Praxiteles duo Bonae Fortunae et Boni Eventus signa nuda aut fere nuda fecit, nam nudam fuisse ex ipsa Aeliani narratione consequitur. Quocirca nuda Boni Eventus imagine quae in Titi imperatoris numo conspicitur (cf. Millin gal. mythol. tab. XLIX, 361) Praxitelis opus

¹⁾ Cf. Diod. XVIII, 18. Arn. Schäfer in libro doctissimo „Demosthenes und seine Zeit“ vol. I, p. 87. et 428.

exhiberi videtur. Euphranoris enim statua „dextra pateram, sinistra spicam et papaver“ tenuit, in numo autem manus sinistra spicam solam tenet.

Ita tres nacti sumus statuas quae insanum amorem spectantium concitarunt, Venerem Cnidiam, Amorem Parianum, Bonam Fortunam. Quibus si addideris Thespiadas ab equite Romano adamatas, et si simul de duobus tantum monumentis quae ab aequali et fortasse discipulo Praxitelis sculpta fuerint, similia narrari reputaveris, de ceteris vero artificibus, velut de Scopae, nihil tale commemorari: aliquid certe in egregii sculptoris arte et ingenio insitum fuisse colliges, quod non animum tantum sed sensus quoque commoveret. Dandum est sane aliquid inflammabili Graecorum generi, atque e nostra sentiendi ratione subabsurda prudentia factum videtur, quod insigni statuae Vaticanae quae ad Veneris Cnidiae exemplum ficta esse existimatur (mus. Pio-Clem. vol. I, tab. XI), nostra memoria vestis addita est; maximum deinde inter Praxitelis artem idque signum quod Hispani hominis libidinem excitasse fertur, Iustitiae effigiem a Gulielmo Portensi Pauli II. papae monumento insculptam, discrimen intercedere non fateor tantum sed ultro profiteor; concedendum est denique, ipsa artis excellentia qua in marmore sculpendo omnibus fortasse praeter Scopam summus artifex praestitit, efficacius et vehementius spectantium mentes commoveri debuisse. Verum haec non sufficiunt, quum Scopae certe opera Praxitelis artem aequaverint. Itaque peculiaris quaedam virtus anquirenda est, qua reliquos artifices aut superarit aut posteriorum quidem temporum hominibus superare visus sit. Quam virtutem Winckelmannus (trattato preliminare §. 43 sq.) verbis sublimibus et paulo obscurioribus alteram gratiam fuisse pronuntiavit, scilicet ab altiore quadam et Doricae harmoniae comparabili diversam, O. Müllerus in comment. de Phidiae vita p. 66 sqq. cum rerum Atticarum mutationibus comparavit, Brunnus p. 395. et mus. Rhen. XI, p. 165 sqq. in universum recte, sed paulo iniquius neque in singulis satis considerate explicuit. Propriam Praxitelis veritatem fuisse arbitror cum gratia coniunctam, veritatem autem, ad quam cum Lysippo proxime accessisse traditur a Quintiliano XII, 10, 4., e rhetorica disciplina eandem fere intelligendam esse quam nos naturam seu vitam (*Wirklichkeit*) appellamus, cf. Ruhnck. ad Rutil. Lup. p. 92. Ern. clav. Cic. s. v. Sicut igitur

oratores apud Cic. orat. III, 56. *ipsius veritatis actores, histriones imitatores veritatis* vocantur, ita a Zeuxide *mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas translata* est (Cic. de invent. II, 1.). Hanc autem veritatem non externam aliquam fuisse, quod Brunnio placuit, disertis veterum testimoniis comprobatur, et recte Friederichsius in libro de Praxitele contra Brunnium scripto p. 44. exposuit. Atque ei non tam dignitatem quam venustatem admiscuit, qua singulis signis certum aliquem affectum aut plures affectus mixtos expressit, a sublimi illa pulchritudine quibus ingenia et mores ($\eta\theta\eta$) repraesentabantur, non quidem alienam sed aliquatenus tamen diversam. Nam Lysippum eo superavit, quod vel sic quoque ea argumenta, quae supra humanum genus ad divinum numen eaque quae cogitatione comprehenduntur adscendunt ad speciem altiore pulchritudinis extulit eaque humanas quoque imagines temperavit. Quum igitur uterque hominum effigies fingeret, eas quae ipsam veritatem eamque solam exprimerent, melius haud dubie Lysippus formavit, at in reliquis Praxitelem, quem paucis signis Megarae et Thespiis positus aemulare aggressus est, non aequavit. In quo opere Praxiteles sensibus humiliter blandiri nullo modo voluit. Nam quod in Veneris statua pulcherrimas feminas accurate imitatus est, nihil aliud fecit quam quod a Raphaele Sanctio fieri solitum esse ipsius testimonio et non ea tantum virgine comprobatur quae a sella nomen habet, sed ipsa etiam Dresdensi tabula quae a D. Sixto cognominatur. Scilicet uterque humana pulchritudinis exempla ad divinam imaginem mente conceptam direxit. Verum quum Alcamenes deam ipsam nullo affectu humano turbatam et vestibus pulcherrimis quantum satis esset velatam exhibuisset, Praxiteles Scopae audaciam secutus nudam sculpsit eamque speciem spectantibus proposuit quae epitheto Homericō $\varphi\iota\lambda\omicron\mu\epsilon\iota\delta\eta$ $\Lambda\varphi\rho\delta\acute{\iota}\tau\eta\eta$ indicatur, simul amoris affectu turbatam ita ut ad pudoris sensum motus et gestus dirigeretur. Corpus autem tale finxit, quale conspexerat in venustissimis exemplis vivum vegetumque. Ita quum vitae humanae veritatem quovis homine maiorem contineri viderent Graeci, fieri facile potuit ut humanos affectus ad numina ipsa transferrent perditique homines nefaria libidine exardescerent.

Ad inceptum redeo, reliquaque opera ita enumerabo, ut ea de quibus nota sunt omnia nominare satis habeam, omnia autem quae Athenis stetisse

videntur eo ordine, quantum fieri poterit, recenseam quo inde a portis Piraeum versus situs sese exceperunt.

II. Ad portam ipsam, qua Pausanias urbem introivit, *sepulcrum* situm fuit, cui militem equo adstantem Praxiteles imposuit, marmoreum, ut videtur (Pausan. I, 2, 3.), quam statuam nescio an recte Leakius topogr. p. 171. interpret. German. cum Chalcodontis herois monumento (Plutarch. Thes. 27) coniunxerit.

III. Deinde marmorea opera *in ceramico* Plinius XXXIV, 20. laudavit, utrum in interiore an in exteriore fuerint, non addidit. Quare ego in chrestomathia p. 380. Brunnium p. 344. secutus de statu is templis Cereris cogitaveram, quae a Pausania I, 2, 4. commemorantur. Verum id templum non in ipso ceramico sed prope ceramicum situm fuit. Neque in foro, quod ceramici nomine comprehendi docuit Rossius in dissert. de Thesei templo p. 42, marmorea Praxitelis signa fuisse traditur. Itaque praestat exteriorem ceramicum intelligere, ubi inter plurima clarorum virorum monumenta quidni nonnulla eius manu fieri potuerunt? Nam talia eum non aspernatum esse e Thespiensi inscriptione corp. inscr. I, 604. apparet.

IV. Fortasse in eodem loco etiam aerea duo monumenta erexit. Quos enim Plinius XXXIV, 34. commemorat, *Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas quos a Xerxe Persarum rege captos victa Perside Atheniensibus remisit Magnus Alexander*, eas statuas esse non posse manifestum est quae in foro steterunt (cf. Pausan. I, 8, 4); namque ibi non nisi duo paria statuarum fuisse constat, unum ab Antenore factum, a Critio et Nesiote alterum, cf. Bergk. diurn. antiq. a. MDCCCXLV, p. 672. Itaque aut nusquam exstiterunt Praxitelis signa aut alio loco minus celebri, ad quem Plinius facili errore quae de forensibus legere se meminerat retulerit. Illud propterea parum probabile est, quoniam optimum in recensendis his operibus auctorem expressit Plinius. Iam vero notum est Harmodium et Aristogitonem in ceramico sepultos esse (cf. Pausan. I, 29, 15). Itaque praestat monumentum tyrannicidarum in ceramico positum intelligere, Praxitelis arte insignitum.

V. Ad eundem locum videntur pertinere quae XXXIV, 71. his verbis a Plinio narrantur: *Habet simulacrum et benignitas eius. Calamidis enim quadrigae*

aurigam suam imposuit, ne melior in equorum effigie defecisse in homine crederetur. In Cimoniis enim monumentis i. e. in ceramico equorum effigies clara fuit quibus Cimon Miltiadis patruus tres victorias Olympiae reportaverat (Herod. VI, 103), eosque a Miltiade in ceramico sepultos esse ab Aeliano nat. anim. XII, 40. docemur. Quos aereos fuisse eodem capite Aelianus var. hist. IX, 32. tradidit, quo de indubitato Praxitelis opere, de Phrynes imagine, disseruit. Iam veteris illius Cimonis aetate equi ab artifice Atheniensi sculpti fuisse nequeunt. Endoei enim vel aliorum ol. LX. artificum talia opera nusquam commemorantur, neque omnino ante Ageladae vel Onatae tempora aeneae quadrigae collocatae fuisse videntur, quorum ille post ol. demum LXVI. Chalcosthenis effigiem cum auriga currui imposuisse fertur, cf. Pausan. VI, 10, 5. τῶν δὲ ἵπποτροφησάντων ἐν Ἑλλάδι πρῶτος ἐς Ὀλυμπίαν εἰκόνα ἀνέθηκεν ὁ Κλεοθένης οὗτος. E verbis Pausaniae non certo efficitur etiam aurigam Cleosthenis primum in quadriga exhibitum esse, verum quum ibidem ab Evagora currum solum, a Miltiade ne currum quidem Olympiae dedicatum esse legamus, initio equos tantum quadrigis additos esse apparet. Athenis vero alterius Cimonis aequalis Calamis prae ceteris, ut constat, equis fingendis omnium gloriam superavit; veri igitur simile est, non priorem illum sed nobilissimum ducem Cimonem eo loco, ubi equae clarissimae sepultae fuerant, quadrigam a Calamide excusam collocasse atque unum ex eius progenie, eum fortasse Miltiadem qui cum Ephialte ad Memnonem Persarum contra Macedones ducem se contulit (cf. Niebuhr ant. hist. vol. II, p. 398), aurigae statuam a Praxitele addi iussisse: utrum antea Calamidis opus in curru steterit, quod a Praxitele sublatum fuerit necne, incertum relinquo, fateor tamen mihi hanc rationem magis placere; nam illa arroganti magis quam benigno animo attribuenda esset.

VI. Ad urbis introitum prope dipylum, ut videtur, aedes Cereris a Pausania I, 2, 4. describitur, in qua *simulacra deae ipsius, Proserpinae et Iacchi* Praxitelis manu elaboratae steterunt, prope murum, ut consentaneum est, cui litteris Atticis antiquis artificis nomen inscriptum legebatur. E litterarum genere consequitur haec artificia, quorum Iacchum marmoreum Atheniensibus carissimum a Cicerone Verr. IV, 60. vocari egregie animadvertit Friederichsius p. 11, ad antiquissima statuarii opera pertinere.

VII. Ad eandem deam duo signa aenea spectant pulcherrima secundum Plinium XXXIV, 69., quae ita haud dubie collocata fuerunt, ut alterum alteri responderet: *Proserpinae raptum*, item *catagusam* Plinius, Pasitalem, ut videtur, secutus appellat. Et hanc quidem a plerisque omnibus ita intelligi video, ut de Cerere cogitaverint, quae filiam Orco e pactione redditura deducat. At vero quum verbo *κατάγειν* et reducendi et deducendi vis contineatur, illam huic loco unice aptam esse et fabulae indole et usu loquendi comprobatur. Nam fabulam ad segetum proventum et interitum pertinere quis nescit? Consentaneum fuit igitur, ut in salutari inter deam et genus humanum consortio celebrando cum tristi Proserpinae descensu laetissimus eiusdem ab inferis reditus uno consilio coniungeretur. Sic apud Siculos quomodo Venus Erycina *ἀναγωγῶν* tempore in Africam abire, redire illinc *ἐν τοῖς λεγομένοις καταγωγίσις* putabatur (cf. Athen. IX, p. 495), ita Syracusani festos Cereris dies initio veris, *τῆς Κόρης τὴν καταγωγήν* ea aetate celebrabant, quo frumenti maturitate dea mortalibus rursus apparuisse ferebatur (cf. Diodor. V, 5. Welcker in libro *Zeitschrift für die alte Kunst* p. 20). Iam vero quid felicius ab artifice ingeniosissimo excogitare potuit, quam abscedere Cereris filiam vi Plutonis abreptam eandemque matre comitante reducem fieri? Tale autem argumentum aut Eleusine aut potius Athenis in aliquo Cereris delubro, sive in aede Cereris et Proserpinae (cf. Pausan. I, 14) seu in ipso Eleusinio expressum fuisse putandum est, idque statuis haud dubie; nam quod Viscontius in *mus. Pio-Clem.* vol. V, ad tab. 5. de anaglyphis aeneis cogitavit, et aeneorum id temporis anaglyphorum raritate et eo praesertim refellitur, quod apud Plinium ubique de statuis sermo est. Quomodo consilium suum artifex exsecutus sit, decernere non audeo: id tamen similibus monumentis comparatis colligi fortasse poterit (cf. Montfaucon I, 4. 5. II, 78), binis tantum figuris utrumque opus comprehensum esse, ita ut in altero Pluto et Proserpina, Ceres cum filia in altero currui institisse existimetur: tertia enim persona ab operis unitate abhorret.

VIII. Neque in hac fabula exornanda vir diligentissimus substitit. Marmorea enim signa a Plinio XXXIV, 23. Romae fuisse traduntur *Flora*, *Triptolemus*, *Ceres in hortis Servilianis*. Quae aut e Siciliae urbe Enna, ubi collosa Cereris et Triptolemi simulacra a Cicerone Verr. IV, 49. laudan-

tur, aut ex Attica oriunda fuerunt, ubi hae religiones unice floruerunt. Atque quum a Cicerone duo statuæ caeque inter se separatae enumerentur, Romae tres inter se vicinae et haud dubie ab eodem loco advectae exstiterint, ad Siciliam Praxitelis opera non esse referenda apparet. His accedit quod in hortis Servilianis asservatae sunt, ante Neronis imperium ignotos, qui post urbis incendium ibi commemorari solitus est (cf. Tacit. ann. XV, 53. Sueton. Ner. 47), postquam nescio quo pacto in Caesarum potestatem pervenerant¹⁾. Quae igitur monumenta hortorum ornatui inservierunt, ea post incendium Romam transportata sunt. Atqui Achaiae et Asiae spoliis damna urbis expleta sunt. Iam vero praeter Amoris Pariani imaginem, aram Ephesi conditam et Veneris Cariae statuem quae haud dubie tum quum Mausoli imperium usque ad insulas vicinas pertineret ad Cnidiae imaginis similitudinem sculpta fuit, nullum in Asia Praxitelis signum fuisse perhibetur. In Achaia autem Triptolemi patriam prae ceteris eius dearumque simulacris ornatam fuisse apparet. In qua regione quum ne arci quidem parceretur (cf. Dio Chrysost. or. XXXI, 148), multo facilius haec quoque signa Acratus e sacrario quodam, veluti e templo prope fontem enneacruron (Pausan. I, 14) vel e vico in planitie sito auferre potuit. Ceterum quam Floram Plinius vocavit, non Coram fuisse, quod in chrestomathia p. 371. conieceram, sed Horam floribus ornatam vel sertum manibus aut veste tenentem vasculo Poniatovskii et similibus monumentis comparatis intellexi. Tres statuæ eo ordine dispositae videntur fuisse, quo a Plinio enumerantur, ita ut medius esset Triptolemus, cui ab una parte Ceres cum spicis, ab altera Hora, quam recte Romano scriptori Floram nominare licebat, cum floribus adstaret, qua imagine pulcherrima deae munera a fortunato invene accepta et hominibus tradita egregie comprehenduntur. Atque haud dubie ea monumenta, quibus Cereris, Proserpinae, Triptolemi fabulae nobis innotuerunt, ad Praxitelis ingenium referenda

¹⁾ A Servilio Caepione Bruto relictos et post eius proscriptionem Caesarum opibus additos esse Nibbyus Rom. ant. vol. II, p. 361. coniecit. Equidem a Servilio Noniano quinque annis ante incendium mortuo ita vocatos eiusque testamento Neroni relictos esse puto, eiusque nomen in corrupta codd. mss. lectione *annos* apud Plinium XXXVII, 18. latere.

sunt. Quid quod Trophonium quoque Lebadeae tamquam alterum Triptolemmum propter Atticorum operum praestantiam Boeoti ei faciendum commiserunt.

IX. In acropoli *Dianam Brauronium* Pausanias I, 23, 9. commemorat, cui alia opera e Plinii catalogo addi possunt. Namque

X. *canephoram* (Plin. XXXIV, 69) ipso nomine Athenis potissimum collocatam fuisse verisimile redditur, quae cum *stephanusa* (Victoria aut regione quadam) et *pseliumene* coniungitur. Fortasse *Apollinis* et *Neptuni* simulacra (ibid. et XXXVI, 23) ibidem dedicata fuerunt, nam ad antiquissimas illius loci religiones pertinere spelunca Apollinis et templi Erechthei vicinitate demonstratur.

XI — XII. Reliqua signa ad Bacchi fabulam pertinent, inter quae *Bacchum* ipsum cum *Methe* et *Satyro* Plinius laudat, alium, ut videtur, Pausanias I, 20. Hae statucae in via quae a tripodibus appellata est steterunt.

XIII. Deinde a Plinio XXXVI, 23. nominantur *Maenades et quas Thyiadas vocant et Caryatidas et Sileni*, sive, quod propter epigramma anall. II, p. 275. scribendum videtur, *Maenades, quas et Thyiadas &c.* Maenadum enim appellatione utrumque genus comprehenditur, neque verisimile est, uni Silenorum nomini tres diversos Baccharum ordines opponi. Thyiades autem Atticae proprie sunt, sicut Caryatides, a quibus Pratinæ fabula inscripta fuit, Laconiae.

XIV. Ultimo loco *spectantur et duo signa eius diversos affectus experimentia, flentis matronae et meretricis gaudentis; hanc putant Phrymen fuisse deprehendentque in ea amorem artificis et mercedem in vultu meretricis* (Plin. XXXIV, 70). Distinguantur oportet quae de statuarum significatione et quae de artificis amasiaeque affectibus traduntur. Haec enim epigrammatis colorem prae se ferunt, illa ex ipsa rerum veritate petita sunt. Quodsi enim matrona prae meretrice spreta huiusque amor ad auctorem referendus esset, profecto magnae petulantiae merito duorum filiorum pater argueretur. Verum de tali argumento nequaquam est cogitandum, sed de ornamento scaenae, quod e comoedia repetitum ad eundem ordinem pertinet cui Leocharis mangonis cum puero ibid. § 80. atque ex altera parte Silanionis Iocastae

signum attribuenda videntur. Scilicet quum theatrum Athenis a Lycurgo et aedificiis et clarorum poetarum monumentis condecoraretur, etiam personarum scaenicarum aeneae imagines a statuariis qui tum temporis Athenis debebant ab egregio magistratu aut a civibus opulentioribus redemptae sunt, quae in theatro ponerentur: atque hinc evenit ut comoedorum simulacra haud pauca a Plinio commemorentur. Quod exemplum Rhodii imitati sunt, primi haud dubie Athenienses Graeciae magistri instituerunt.

Poteram his plura proferre et debebam fortasse. Verum eo festinat animus, ut a suavissima de communibus studiis Tecum confabulandi iucunditate revocatus ad munus ab Amplissimo Ordine demandatum se convertat. Constituit enim Ordo eo die qui post adeptos summos in philosophia honores iam quinquagesimus Tibi illuxit, non tantum in partem gratulationis Tuae venire sed etiam quam magni Te faciat, publice testari. Neque enim egregiam tantum ingenii indolem, mirum in vero dispiciendo acumen, summam doctrinam, elegantiam eximiamque scribendi docendique sedulitatem cum tota Germania et cum orbe terrarum erudito suspicit ac veneratur: sed aliam praeterea et gratulandi et gratias agendi causam peculiarem sibi et cum reliquis Bavariae universitatibus communem existimavit. Quum enim rei scholasticae rationibus universitatum et nostri praesertim ordinis commoda ita nitantur, ut auditores nisi bene in litterarum ludis praeparati recte, severe et utiliter sua quisque arte erudiri nequeant, dici vix potest quantum Tibi in hoc genere debeatur. Tu enim salutaria de re scholastica praecepta et libris elegantissimis tradidisti et voce consilio auctoritate ita commendasti, ut etiam temporibus minus felicibus eundem cursum magna constantia teneres. Plurimos denique et optimos magistros ipse educasti eosque cum praelectionibus doctissimis tum seminarii colloquiis ad veram humanitatem direxisti.

Salve igitur Bavariae doctor! Quo nomine si quod aliud honorificum dum Te laeti gratique appellamus, pia simul ac devota mente a Deo Optimo Maximo precamur, ut per multos annos incolumem Te patriae, litteris, liberis uxori ac amicis discipulis conservare dignetur!











